

David Richter


B. Morhofii Patavinitatem Livianam Cum Ad Natalem Serenissimi Ducis Atque Principis Domini Caroli Leopoldi, Ducis Regnantis Meclenburgici ... Cras V. D. D. XXVI. Novembr. M D CCXLIII. ... In Gymnasii ... Celebrandum ...

Rostochii: Adlerus, [1743]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832344559>

Druck Freier  Zugang





MLK-9453-(1.)

12 42
B. MORHOFII
PATAVINITATEM LIVIANAM

CVM AD

NATALEM
SERENISSIMI DVCIS ATQVE
PRINCIPIS

DOMINI
CAROLI LEOPOLDI,

DVCIS REGNANTIS MECLENBURGICI
PRINCIPIS VETVSTAE GENTIS HENETAE, SVERINI
ET RACEBURGI, COMITIS ITEM SVERINENSIS,
TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE
DYNASTAE

DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,
CRAS V. D. D. XXVI. NOVEMBR. A. CIO 13 CCXLIII,
DIVINIS AVSPICIIS REDEVNTEM


SOLEMNIORIBVSQVE ORATIONIBVS
IN GYMNASII AVDITORIO MAIORI
PVBLICA HVMILLIMAQVE PIETATE CELEBRANDVM
PATRES VTRIVSQUE REIPVBLICAE EORVMQVE
FIlios

OMNI OFFICIO, CVLTV ATQVE HVMANITATE INVITARET,
REPETEbat,

M. DAVID RICHTER,
GYMN. GVSTROV. RECT.

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS JACOBI ADLERI, SERENISS. PRINC.
& ACADEMIAE Typographi,



F.!

Multa equidem de LIVIO, tum reo, tum defenso; præterea de modo Orationes historiis inserendi & de variis Eiusdem editionibus proferri possent; quia vero periculum est, ne ista singula terminos paucarum excederent plangularum, hunc mihi signatum posui limitem, ne ultra *Patavinitatē*, toties recoctam & eidem satis temere objectam, progrederer, quæ etiam ad accusatum pertinet Livium. Licet ergo inter omnes constet, quod pro suæ doctrinæ abundantia strenue pro fusis eandem a Patavino dispulerit b. MORHOFIUS peculiari Libro A. 1684. edito atque b. SECKENDORFIO inscripto; operæ tamen officiique mei pretium me nullum facturum non arbitratus sum, si breviores ejusdem lineas ita exhiberem, ut novis, quolibuscunque etiam, accessionibus, locus aliquis relinqueretur, præsertim cum sapissime observaverim, a multis quidem hunc libellum citari, a paucissimis vero perlectum fuisse. Simulac autem hæc de *Patavinitate Liviana* dissertatio in lucem fuerat edita, statim sua eandem recensione laudisque promerita encomio dignum judicant Meritissimi ACTOR. ERUDITOR. Collectores, quos vide ad A. 1684. p. 570-575. Hos vero statim Belgarum Gallorumque non solum Ephemerides literariæ, sed doctissimi quique sunt secuti, quorum laudes familiari sibi industria, concessit b. MOLLERUS in *Prolegom. ad Morhof. Polyhist. S. 70 p. 49.* Inferus etiam postea fuit hic liber, ex 24 annorum Prælectionibus Academicis b. Autori sensim enatus, Eiusdem *Dissertationibus*

tionibus Academicis, quas inter locum obtinet XIVtum a p 471, ad p. 595. unde de quantitate & ambitu libri judicari potest. Sic v. g. quando

Cap. 1. præter alia, etiam de Livii libris deperditis agit, quos ex Arabum Bibliothecis quidam restituendos affirmant, non ingrata mihi erat recordatio HUETII de *Claris Interpret.* p. 199 atque SCHERTZERI in suis *Programm.* p. 63. DOVIATIANAM Livii editionem, cujus p. 480 meminit, commendat præterea *Index Freinsheimianus*, neque pigror b. AUTORIS in. de *Pura Dictione* cap. 7. §. 10. p. 98. reperiendam sententiam huc transcribere, his quidem verbis: *In Livium, cujus Opus prolixius est, quam ut perfectus in illud index conficiatur, nunc tamen habemus Indicem Freinsheimianum posthumum, quem Ipse moriens heredibus reliquit, una cum integro Livianorum librorum supplemento, a DOVIATIO una cum Livii Opere & supplementis, aliquot Tomis in IV. publicatum. DOVIATIVUS illum vehementer commendat, sed quoniam libri pretium ob additionem Librorum Livianorum augetur, operæ pretium faceret aliquis typographus, si indicem & supplementa seorsim ederet.* Quæ porro de integris XIV. Decadibus LIVII GRONINGIANI p. 481. traduntur, lucem accipient ex D. THEOD. HASÆI Vita Joh. Wyckii §. 3. in *Biblioth. Bremensi* class. 2. Fascic. I. p. 143. quia ex LEIBNITZIANIS alterius quoque ejusdam integri LIVII ZWEENBRUCKIANI facit mentionem, addens: *Si hæc vera sunt, his Bremensibus meis spes facta fuit, tam invidendi thesauri potiundi. Quod si hæc tertio contingent, spero majorem illius custodia habituros curam; neque illum tam facile iterum e manibus elabi passuros.* Cum denique COLOMESIUS p. 482. testatur, se fragmenta quædam Decadum Livianarum, hodie deperditarum, in sphaeristerio deprehendisse; *editionis Operum Colomesii Fabriciana* p. 320. hæc ex ejusdem Colomesii *Bibliothèque Choisi* p. 408. ubi CHAPELIANI literæ exhibentur, illustrari possunt, qui & ibidem p. 407. de LIVIO CONSTANTINOPOLITANO, cujus Morhof. p. 478 mentionem fecit, pluribus egit. Idem Colomesius in *Opusculis* p. m. 292. de imagine Livii Patavina, digitum ori adpressum habente, rerulit.

Cap. 2. Varias de Patavinitate sententias, olim quoque à BALTH. BONIFACIO & infra c. 16. p. 586. brevissime indicatas, pluribus

recenset, quas inter haud est postrema, quae illam de Livii in Gallos odio plerumque & communiter exponit. Vide hic JAC. PALMERIUM apud CRENIUM *Animadvers. Philol. & Hist.* Parte 4. p. 50. sqq. qui unus instar omnium satis testabitur, quam contentum de Livio sentiant Galli. Immerito tamen hic Livium Gallis vapulare SCARDEONIUS popularis Livii, probasse traditur in b. SCHURTZFLEISCHII *Introd. in Notit. Scriptor.* Part. 2. p. 75. fin. Hujus vero Scardeonii Libros III. de urbis Patavii antiquitate, claris Civibus Patavinis, & de claris Philosophis, Tomo VI. ejusque Parti III. *Theauri Scriptorum Italiae, Graevio-Burmanni*, una cum PIGNORII Originibus Patavinis & FERRARIO, de Laudibus urbis Patavii, fuisse insertos, b. FABRICIUS me docuit in *Conspectu Theauri Literarii Italiae* p. 101. qui etiam cum p. 206. utiliter quoad Patavium, Livii patriam, conferetur. Imo vero ex Scardeonio Morhofium aliqua ad excutiendam Livii Patavitatem afferre potuisse, aperte Ipse scripsit b. SCHURTZFLEISCHIUS, *Epist. Arcan.* Tom. I. p. 529.

Cap. 3. de repertis Patavii ossibus ejusdam Livii liberti agens, turbabit tum illorum gaudia qui cum LANSIO in Consult. p. m. 346, HALLERVORDIO in *Spicileg. ad Vossium de Hist. Latin.* p. 753. Supplementi a Fabricio collecti, aliisque de invento vero Livio nimium exultant; tum quoque, qui cum JOH. FRID. GRONOVIO monumentum Patavinum, manibus Livianis positum, suis Livianis minoribus editionibus A. 1644 & 1653 velut insigne quoddam emblemata suspendunt. Nam in majoris formae editionibus, fraudem forsitan & meliora edoctus, hoc omisit monumentum Gronovius. Ipsam inscriptionem vero à JOH. FABRICIO in Notis suis ad Orat. de Utilit. Itiner. Ital. p. 668. *Amanitatt. Theolog.* forsitan per errores Typothetae valde mutatam atque corruptam fuisse exhibitam, quilibet facile subodorabitur.

Cap. 4. data opera inquit de ASINIO POLLIONE ejusque censura in Livium & ingenio maledico erga optimos quosque Latinitatis statores, de quo etiam, quia primus Romae Bibliothecam instituit, (id quod nec Morhofius p. 499. reticuit) vid. Cel. FALSTERUM *Quaest. Rom. II. I. 3* p. 117. & in *Cogitatt. Philol.* Part. III. p. 157. Neque omnino nulla de eodem Asinio reperi possunt ex SER-
VIO

VIO, & præstantissimis quibusvis Commentatoribus, de la CERDA, PONTANO, EMMENESSIO, aliisque ad Virgillii Eclogam III. v. 84. & 86. atque ad Inscriptionem Eclogæ 4tæ, HORATHI item Librum II. Ode I. præcipue autem ex PAULLI MANUTII *Commentar. in Epist. Cicer. Famil. X. 31. p. m. 140.* ipsoque MORHOFIO de Pura dictione c. 2. §. 10. & infra c. 16. p. m. 585. Ex his licet clare appareat Asinium Ciceroni Virgilio & Horatio æqualem fuisse: ex *Dialogo* etiam de *Oratoribus* c. 17. 7. Quintiliano vel Tacito plerumque tributo, discamus, Asinium pene *ad extremum Augusti principatum durasse*, quare etiam a VALERIO MAXIMO *Dictor. Fact. Memor. VIII. 13.* Ipse *nervosa vivacitatis haud parvum exemplum* vocatur; ad auream tamen Lat. Lingvæ atatem a nemine fuit relatus. Recte proinde & scienter admodum latinissimus FALSTERUS l. c. p. 318. saltem ad tertiam classem Oratorum, qui sub Augusto post Ciceronis fata floruerunt, eum rejecit. Sic ipse CICERO de Clar. Orat. c. 74. n. 117. Cæcilium & Pacuvium, licet C. Lælio & P. Scipioni fuerint æquales, male tamen locutos fuisse testatur. Facit huc etiam *Dialog. de Orator. c. 25. §.* Sed vero LIVIUS, quem Augustus Pompejanum vocitabat, Ciceroni certe, si non æqualis, suppar tamen vel paulo recentior erit habendus, quem b. SCHURTZFLEISCHIUS in disp. de *Titulo Augusti* ex Liv. XXII. 12. 12. ad annum V. C. DXXX, tertiumque, post collatum Augusti titulum refert. Conf. de vera Livii ætate Vir Summus & Cel. WALCHIUS *Hist. Crit. Lingvæ Latine* cap. 9. §. 15. p. 606. Nullus proinde dubito, quin in Morhofii sententiam descendam, Asinium ideo lolliginis succo adpersisse Livium, quia sibi gloriam contendorum de Historia Romana Librorum, de quibus VAL. MAXIMUS l. c. mentionem fecerat, præceptam indignatus fuit.

Cap. 5. inique fert, Livio in Historia scribenda palmam deferri præ Cicerone, qua de re videndus BALTH. BONIFACIUS in *Hist. Ludrica* XV. fin. præcipue autem SCHOTTUS, cap. 3. *pro Ciceronianis*, sive Appendice sui *Ciceronis a calumniis vindicati*, p. m. 176- 79. qui liber, repetitæ a FABRICIO editioni SIMONIS VALLAMBERTI de M. T. *Ciceronis Filii, Vita*, fuit adjunctus & Hamb, 1729. editus. Imo vero ipse Cicero de Oratore II. 12. sq.

egregia suppeditat Oratori in Historia scribenda consilia. Conf. Epist. Famil. V. 12. Tum recensentur Sturmius, Mirandula, Rhodiginus, Erasmus & Benius, Pollionis auctoritatem secuti, quod infra etiam c. ult. p. 587. pluribus persequitur, ubi p. 591. Benio iterum occurrit. Contra hunc vero egregie docet, quid pulchrum s. dulce: & quid jucundum etiam in Liviana sit Oratione. Heic autem vel me tacente, quilibet intelliget, pulchrum jucundumque Commentarium Incomparabilis BERGERI de *Naturali Pulchrit. Orat.* p. 309-314. p. 625-667 etc. huc præcipue pertinere. Cum etiam ex CICERONE de *Clar. Orat.* c. 51. docuisset, Historiam quam proxime accedere ad Poëticam Orationem, copiam carminis Ovidiani, ipsiusque Livii, qui etiam cum modestia conjunctam expressisset jucunditatem, numerumque, quem CICERONE autore de *Clar. Orat.* c. 81. Isocrates observandum docuit omnium primus, intellexisset, contra alios vendicat, quod de argumento vide etiam HEINECCIUM *Fundam. Seyli*, p. m. 146. §. 57. Infra autem cap. 16., cum per *γοργότητα*, Livium etiam ornari, dicat, quam alii imperite *περισσολογίαν*, alii *ταυτολογίαν* dixissent, quod contra Lipsium infra p. 589 sq. pluribus edisserit, qui tamen Ipse olim Livii editionem moliebatur, BONGARSIIQUE sensit obstetecantem. Vid. CRENIUS *Animadvers.* Part. 6 p. 31. Quanti etiam Livium fecerit LIPSIUS vid. in *Ejusdem Orat. octo Tenensibus* p. 34. De *Celeritate* interim, vide præter Rhetoricos, STURMIUM, de *Imit. Oratoria* II. 15. Futilem porro b. Autor retundit illorum cavillationem qui Livium suggillant, quod integros nonnunquam versus adhibuisset, qua de causa pluribus vide Junii *Scholas in Cicer. Brutum* ejusque capita 50 & sq. p. m. 172. P. RAMI *Scholar. Rhetoricarum Librum 6tum & sqq.* CASAUBONUM de *Satyrica Græcorum Pœsi & Romanorum Satira* Libro II. c. 5. p. m. 265, in *CRENII Museo Philol. & Hist.* VOISIUM de *Artis Poëtica Nat. & Const.* c. 2. §. 2. p. 5 sqq. & *Institutt. Poëtic.* I. 8. 12. p. m. 73 sqq. BERGERI *Nat. Pulchr. Orat.* p. 314-338. VOSSIUM *Institutt. Orat.* IV. 4. 3. p. m. 72. sqq. JO. GEORG. MULLERUM de *Natura media Pœseos, inter Philosophiam & Historiam ex Aristotel.* cap. 9. *Poëticorum*, Jenæ 1708. in 8. edit.

Capiti-

Capitibus autem 6. usque ad 13. arcem totius causæ comprehendit, de Urbanitate & Peregrinitate Sermonis Latini adeo erudite graviterque agens, ut illis necessario in deliciis sint futura, qui in Latii fluminibus os bene imbutum habent, qua de re infra etiam agit c. 16 p. 586. Differentiam enim Urbanæ & Oppidanæ i. e. Romanæ & Latinæ dictionis & utriusque varios limites, notas atque divisiones; hisque contraria, Rusticitatem & Peregrinitatem per singulas fere gentes uberrime ostendit. De sermonis enim Romani, qui Consulium, qui Patriciorum, qui Equitum erat, nitore, quem Urbanitatem dicere, disquiri, quibus lineis ipse b. Autor in Dedicat, argumentum totius libri includit. Sed singula, strictim tamen, excutere juvat, quia.

Capite 6. Hellenolexias tradit quasi Historiam, quantum nempe etiam Romanus sermo ex græco fuerit tinctus, eidemque debeat, unde tantam Urbanitas etiam cum Attico contraxerit affinitatem, ut totus Athenas, toties a se frequentatas, redoleat Cicero, cujus itinera varia brevissime in *Vallo Humanitatis* p. m. 169. recenset HERM. BUSCHIUS, de cuius vita, studiis, Itineribus, Scriptis & Laboribus extat Narratio HERM. HAMELMANNI, in Eiusd. *Oper. Genealogico Historicis de Westphalia & Saxonia Inferiori* p. 279-314. repetita in Clar. ROLLII *Memor. Philosophor.* p. 51-104. De Græcis autem Romanis pulsus vide PAGANINUM GAUDENTIUM de *Philosophia apud Romanos*, c. 10 & 14. atque Cel. WALCHIUM *Hist. Crit. L. Latina* l. 15. p. 87. Ex municipalis autem sive Oppidanæ dictionis ab Urbanitate differentia, illam Patavinitatis afflictionem ortam fuisse, Græcæ autem Linguae Romanos debere plurimum ex CICER. de *Clar. Orat.* c. 13. alibi que passim abunde liquet. Vid hic NOGAROLLE *Epistola de Italis qui græca scripserunt*, in Supplementis ad Vossium de *Hist. Græc.* a. b. Fabricio collectis & editis p. 212. ipsumque MORHOFTIUM de *pura dict.* c. 2. §. 2. p. 12. WALCHIUM l. c. II. 16. p. 189. Porro varios linguæ Lat. tradit divisiones: Italicissimum jam olim plebi familiarem fuisse, Rom. vero sermonem alium in loquendo alium in scribendo fuisse, quod S. R. WALCHIUS l. c. I. 20. p. 117. pariter observavit. Voces inusitatas & plebejas originem dedisse vulgari Romanæ, tot fordibus tandem inquinatæ, ut sequior etiam ætate Rustica inde fuerit enata, Barbarismis & Soloecismis inquinata. Coronidis loco huic capiti adjicere placuit THOMAM HAYNE de
Lin.

Linguarum cognatione, seu de Linguis in genere & de variarum Linguarum harmonia, recus in CRENII *Analectis Philol. Critico-Histor.* & GVIL. BURTONI *Historiam Græcæ linguæ, in qua de latissimo hujus, omnibus prope seculis, per universum Terrarum orbem usu disse-* seritur, insertam *Nova Libror. Rarior. Conlect.* ejusque Fascic. 4to p. 597-708. quamque multis observationibus a se auctam aliquando edendam promisit Cel. a SEELEN in *Præfat. ad Burtoni læi-
pavæ Lingua persicæ.* Cogitate omitto, quæ ex Thesauris Antiquitatum Græcarum, Romanarum, & Historiarum Italiæ huc facerent. Vide de his FABRIBRICII *Conspectum Thesauri Literar. Italiæ & Bibliographiam antiquariam.*

Cap. 7mo. Romani seu Urbani sermonis, sive Romanitatis genus scrutatur, ita ut duo in eadem spectet, I. PERSPICUITATEM, ad quam non solum delectus verborum usitatorum nec plebejorum, sed eorundem quoque structuram, variataque in eadem significatio, non observata, pertinet. *Nam si apud auctores, inquit, phrasî aliqua bona est in se spectata, aut ex rei indole, cui tribuitur, considerata, inepta tamen fit, si personis, rebus, locis aliis applicetur.* Operæ itaque suæ omne pretium talit MERICUS CAUSOBONUS, conscripta Diatriba de *Verborum usu & accurata eorum cognitionis utilitate*, quam Thomas CRENIUS *Analectis* suis p. 87-178. inserendam curavit. Pluribus præterea hanc perspicuitatem commendant qui de Stylo formando præcipiunt quos utilissimo instituto & jucunda recensione persequitur Cel. WALCHIUS in *Hist. Crit. L. L. II. tor. Conf. etiam b. Autor de pura dict. c. I & 4 & sq. c. 15.* Adjungit II. ΗΘΟΣ, S. MORATUM SIVE AFFECTUM LOQUENDI GENUS quod à moribus in Orationem infertur, tum nationis tum singulorum hominum, præcipue illorum, qui reipubl. præsunt & eruditorum, quale dicendi genus *Civile* dicitur. Hujus autem characteres, non ut STURMIUS in *de Imitatione Oratoria* Libris tribus, ex Cicerone, nec ut SCHRA-DERUS in *Analyti & Dispositionibus* ex Aristotele, neque ut Cel. BERGERUS ex Longino ad C. Jul. Cæsarem applicando; sed veluti alter Hermogenes, ex HERMOGENE, Tarfensi illo Rhetore veneti prudentissime maluit, eosque, cum sint varii, ad ternarium reduxit numerum, quorum Imum SIMPLICITATI tribuit, sub qua sæpe sensus reconditur nequam & plusquam duplex, qualis Bucolica ex ornat,

ornat, Idem SVAUTATI vindicat, quæ sectaretur sublimia, venusta, poetica, inque his quædam comica, tragica, Lyrica &c. qualium translatorum Poeticorum Hylen in *Polyhistore* exhibuit. In translationum formis modisque colligendis studiosum olim fuisse P. MOSELLANUM, id quod plenius edisseruisse videtur in de *Diſt. Pura* c. 12 §. 8. p. 202. Dicit autem non posse, quantum in recto metaphorarum usu sit positum. Omnia enim pene stili vitia ab harum pravo usu pendere, neque alio magis characterismo Romani sermonis corruptelam nasci quam illo, quæ egregie etiam, uti semper solet, confirmat BERGERUS p. 230. sqq. & p. 445. sqq. Conf. etiam WALCHIUS l. c. II. 20. p. 200. Statuit denique III. ARGUTIAM, quam *Asteismum* quoque alii dixerunt, ut sales etiam Urbanitatis spargat ex Atticorum ingeniosis faceris peritos, atque ab Arist. 4. Ethic. 8. inter virtutes relatos. Diversitatem interea dictionis urbanæ & oppidanæ esse: tantam, quanta sit in Gallica, quam Parisiis elegantiores loquuntur, & quæ Provincialibus familiaris esse solet, quam ipsi Parisienses joci sæpe salibusque solent exagitare, quod etiam c. 6. jam docuerat. Arduum vero hodie esse utramque discernere & si crebra lectione purissimorum scriptorum aliquid assequi valeamus. In recentiori autem Itatorum lingua eadem Urbanitatis & Peregrinitatis occurrere vestigia, ex quo Florentinitas Rom. linguæ admixta fuisset, quod infra etiam c. 14. p. 579. pluribus persequitur. Omnem dicendi artem paucioribus his contineri lineis, quilibet Ejusdem non expers, aut qui saltem Quintiliani Institt. Orat. perlegit, vel metacente, confitebitur. Brevioribus ergo nobis licet esse, & quia stilum non docemus formandum, perspicuitati & puritati perscrutandis, præter alios dabimus STURMIUM de Imitt. Orat. II. 5. & 6. SEB. KORTHOLTI disp. de *Latinitate pura* A. 731. Kilix hab. OLAI BORRICHII latinissimam Orat. de studio *Latinitatis pure*, A 86 adeoque biennio post b Morhofii editum librum, habitam & in Eiusd. *Dissert. seu Oratt. Academicis*, quas LINTRUPIANIS debemus consiliis, Tomo II. p. 145-180 reperiendam Utrum vero major ratio perspicuitatis an suavitatis sit habenda? anceps multis videtur quæstio, cujus extrema vitaturus, consulat Summum Virum & latine etiam doctissimum, S. R. MOSHEIMIUM in præf. ad 2. libros FOLIETÆ de *L. L. usu & præstantia* §. 9. p. 21. sqq. &

in notis ad MORHOF. de *Diſt. pura* cap. 1. §. WALCHIVM II. § 7. p. 196. ſqq. HERMOGENIANOS autem characteriſmos ſingulos, ſive Formas dicendi, & Orationum ideas, licet injuſte eodem carpat Aliger ille SCALIGER *Poëtices Libro IV. f. m. 174. ſqq.* (qui quidem Liber. IV. quem Paraſceven inſcripſit, adhæc noſtra capita 6. & 7. pertinet totus) prudentiori tamen conſilio ſingulas ideas data opera & verbosius fuit interpretando perſecutus Summus VOSSIUS, qui ſcibile diſcurit omne, dignusque Hermogeniana ſubtilitate interpres extitit in *Inſtit. Orat. Lib. IV. cap. 7 n. 11-29. pag. m. 487-514.* quem b. Autor ſecutus videtur. Ne vero de ignoto plerisque Hermogene, ejuſque 7. ideis ſecus quam par eſt ſtatuas, quod in notis ad Morhof. de *Diſt. pura* p. 5. vidimus, vide Cel. BERGERI *Natur. Pulchrit. Orat. p. 695.* uſque ad finem pulcherrimi libri. Pleniora enim de eodem tradit quam in b. FABRICII *Biblioth. Græca Lib. IV. Parte altera, c. 31. p. m. 428 ſqq.* præſtitum fuerat. Confer. præterea STURMIUM in *Methodo eloquentiæ c. 5. p. m. 39.* & de *Imit. Orat. ll. 8. & 18.* atque HELNECCI *nitidiſſima Stili fundamenta p. 127. ſqq.* Quæ denique de Paraſinorum & Florentinorum dialectis dicta fuere, BORRICHIVS quoque l. c. p. 164. perſequitur.

Cap. 8. Peregrinitatem diſcurit, quam vitio patriæ plerisque adhærere, etiam de *Diſt. pura c. 2. §. 11. & c. 10. §. 16. p. 156.* docuit. Hanc vero Aſinius in Livio reprehenderat. Græca illa, quæ quaſdam phraſes græcas Latinitati admisceat, hic non attenditur, ſed barbara illa, quæ pejora melioribus aſluit, vel alieniſſima conjungit. Conf. WALCHIUS in *H. C. L. L. l. 20. p. 117. ſqq. ll. 16. p. 188.* HENR. STEPHANI de *Abuſu Lingua Græca in quibusdam vocibus quas Latina uſurpat, admonitio*, quam ex ſcriniis Kromaierianis evulgavit Dn. M. Roloffius Berol. 736. in 8. BOHUSLAI BALBINI *Verofiſimilia c. 3. pag. m. 33.* Sic cuique nationi peculiare quid in eſſe ſuæ lingvæ, quod BORRICHIO etiam p. 163. obſervatum, Romanosque vitare Græcorum, in verborum compositione, licentiam, atque e minutis pronunciandi principiis etiam de populi genio naturalique dictione, quædam nos conjicere. Sic in Græca Lingva Doricam, Æolicam &c. inter ſe differre ita ut in Italica Florentinam, Bononiensem &c. quod PHILALETHES POLYSO-

PLEN-

PIENSIS quoque in *Forcianis suis Questionibus* p. m. 340. Novæ Libror. Rar. Conlect. inserit, confirmabit. Hujus autem varietatis causam esse vel situm regionis vel alias plures, quo de argumento vide sis SCALIGERVM sub initium *Poëtices & de Causis L. Latina I. IO.* sqq. S. R. LOESCHERUM de *Causis Ling. Ebr. I. 1.* THOMAM HAYNE ad c. 6. citatum, & b Autorem de *Diët. pura* c. 2. §. 8. Cum vero hodie L. latina nulli amplius populo sit familiaris, sed per varias gentes propagata, facile etiam in singulis novo quodam & gentili coiore tincta fuit, quem Romanus ille candor averfatus fuisset. Placet VAVASSORIS judicium, quod si Græcum, inquentis, ex Latino, aut ex Graeco Latinum Scriptor idem fecerit, juvat ambigere Lectorem, uter Scriptor prius scripserit, utrum redditum sit opus atque ex altero converfum? Sic Hieronymo aliisque Homerus latinus visus fuit ridiculus, quem si Græcum norint, merito suspicerent atque admirarentur. Barclajum quoque Gallicismorum a Scioppio reum fuisse factum, aliisque, sed infra c. 16. p. 578. nominatis: Paucis vero nunc Censoribus datum fuisse, qui e Scriptoribus aureæ ætatis hæc gentilia vitia v. g. Germanismum &c. dijudicare norint, id quod infra quoque p. 586. reperit. Illorum itaque laudandam esse operam qui Idiorismorum a Latinismo differentiam, notarunt, quales fere sunt VOSSIUS de *Vitiis Serm. Lat. de Arte Grammat. Analogia vocum & Construct. Aristarchus.* VORSTIUS de *Latin. merito & falso suspecta* quibus Clar. Dn. BODENBURGIUS nuperrime. Ejusdem Vorstii Tertium adjecit Librum de *Latinitate Selecta & vulgo fere neglecta* cæterique quam plurimi a Cel. KORTHOLTO, de quo non vana prælagitur PEIR. BAYLIUS in suo diët. Titulo: *Kortholt. f. m. 17. nota C. Tomi III. vers. germ. columna, b. in disp. de Latinitate pura* p. 34. quidem nominatos, sed a Cel. BÜNEMANNO in *Indice Latinitatis Selecta, vulgo neglecta, merito & falso suspecta ex Seb. Castellionis Interpretat. S. Codicis collecto*, qui præterea in præmissa præfat. reliquos puræ Latinitatis vindices a Kortholto omiffos, familiari sibi industria, recensuit. Nec te pænitet b. AUTOREM de *Diët. Pura, c. 10. consuluisse, & WALCHIUM II. 16. p. 190. Ea vero quæ de Vavassore & Hieronymo prolata fuere, illustrabuntur ab ANT. SCHORO in *Libris duobus de Rat. disc. docendaque L. L. & Græca, sæpius ob sui præstantiam reculis.* Neque dubito quin huc*

referam H. STEPHANUM in *dissert. de habendo delectu sententiarum*, quæ γῶραι a Græcis dicuntur, quanquam hæc ad præcedentiarum, c. 7. ejusque Hermogenem referri quoque possint, cujus notitiam debeo HEINECCI Fundam. Stili p. 177.

Cap. 9. probat maximam peregrinitatem per deductiones coloniarum & civitatis donationem L. Latinæ olim illatam fuisse, vide hic VOSSIUM de *Vitiis Serm. L. 1. 2.* & WALCHIUM l. 15. p. 86. Primum vero de Hispanismi recentioris in L. L. peregrinitate agit. Priscos namque Hispanos, quos inter Romani municipales illas constituisse Scholas, renaciores fuisse Latinitatis, quæ infra cap. 15. p. 583. illustrantur: BARTHIUM huic Hisp. Linguae nimium tribuere, de cujus conatibus vide etiam CRENIUM in *præfat. Analect.* p. 73. De DAUMII autem *commentatione de causis amissarum L. L. radicum* vide Virum meis laudibus Superiorem, S. R. MOSEMIUM in notis ad UBERTI FOLIETÆ Lib. 2. de *L. L. præstantia* p. 190. & ad b. Autoris librum de *Pura Diss.* c. 4 §. 5 p. 51. Disquiruntur etiam, utrum Hispani an Galli peregrinitatem Rom. in linguam invexerint primi? subjuncta CICERONIS querela de Latinitate suo jam tempore vitata, ex de *Clar. Orat.* c. 47. n. 117. & *Epist. Famil. IX.* 15. conferenda infra cum p. 584. & WALCHIO l. 15. p. 85. Omnia certe Latinitatis ornamenta peritura fuisse, Hispani nisi nobis eadem conservassent. Hinc varia lectu non injucunda profert de utroque Seneca, Quintiliano, Lucano, Martiali, qui si Romanum aliquando contaminassent sermonem, alia tamen quædam eloquentiæ dote, argutis præsertim plebejis, id vitii compensassent. Conf. hic iterum WALCHIUS l. 6. p. 33. His subjungit Afros, Apulejum, de quo variorum affert judicia Christianosque Patres & Poëtas, quibus tamen minus sordium in dictione adhæreat. Interim putat non recte factum ab Afris, quod verba insolentiora nimis frequentaverint, & quasi in perpetuos usus seposuerint, quæ purioris Latinitatis Autores vel sordidas & plebejas, vel ut exiles & minus sonoras rejecissent vel magna modestia usurpassent. Ita etiam statuit in *Libro posthumo de Diss. pura* p. 58 Conf. WALCHIUS *Hist. Crit. L. L. II.* 16. p. 90. 188. HERM. BUSCHII *Vallum Humanit.* p. 155. ed. Burekhard. Locus autem APULEJI a Buschio excitatus, extrat in *Floridis*, circa fin. edit. Frobenii A. 1606. p. m. 597. THOM. HAYNE de *Linguarum Cognatione* p. 53. & BERGERI

GERI *Naturalem Pulchrit. Orat.* p. 340. De *obsoletis* Idem p. 417.
& TAUBMANN. de L. L. p. 53. BOHUSLAI BALBINI *Verifi-*
milia c. 3 p. 21. Ipseque Autor de *Dict. Pura* c. 2. §. 4.

Caput 10. Gallicismo datum fuit, cujus ipse Cicero a Ruffo
apud Juvenalem III. 7. 214. fuit infimularus. Gallis vero nec sua
cum Græcis commercia, nec literarum emporia, nec eloquentiæ do-
ctores, quos inter L. Plotius ap. SVETON. de *Clar. Rhet.* cap. 2.
emineret, defuisse, quod Massilienses locupletissime probarent, de
quibus vid. BORTONUS in *Hist. Græcæ* L. p. m. 632. sqq. PE-
TRUS quoque RAMUS Libro de *Moribus Veterum Gallorum* ter-
tiam hujus Libri partem à p. 701-07. dicavit, disciplinarum studiis
in Veteri Gallia excultis, Grammaticæ præsertim, Rhetoricæ, Lo-
gicæ, Mathematicæ, Physicæ & Theologiæ, ita ut simul CÆSAREM
Gallic. VI. 13. sqq. justo illustraverit commentario. Quos vero
p. 142. in calce libri promisit, de *novæ Gallia moribus*, libros, ad
Bibliothecas promissas & latentes esse referendos, hæud temere for-
san suspicor. Archiam quoque Poëtam Ciceronis ætatis anno 5to Ro-
mam venisse & post 41 annos ab eodem discipulo contra Grachum
vindictam fuisse, ex FRANC. FABRICII *Vita Ciceronis* intelligimus.
In cæteris vero Gallis, qui ætate aurea recentiores fuerunt, idem nati-
vum gentis vitium, quod in Ausonio Gyraldus, in Gallis etiam ipse
CICERO de *Clar. Orat.* c. 40. n. 82, deprehendi, grandiloquenti-
am nempe argutiæ junctam & ineptam, id quod judiciis Hieronymi
de Hilario, Erasmi de Budæo, Pici Mirandulæ de aliis Galliæ Patri-
bus aliorumque confirmat. ANGLOS vero ita his vitiis teneri, ut
præter ASCHAMUM pauci vel nulli fuerint nitore Rom. Studiosi,
à SCOTIS vero in utraque vinci oratione, quæ singula fere repetit in
Libro de *Dict. pura* p. 41. quem cum de Patavinitate scriberet, se edi-
turum p. 528 pollicitus fuerat. Hodie vero in Gallorum cultissima
gente, ita omnia purum illum L. Romanæ nitorem referre, ut Gal-
licæ veneres omnibus Italicis magis sint urbanæ atque Romanæ.
Conf. QVENSTEDT de *Patriis illustr. viror.* cujus editio 2 prodit
Witæb 1692 STRUVII *Introd. in rem Literar.* c. 5. §. 7. sqq. b.
Autor de *Dict. pura* c. 2. §. 15. WALCHIUM l. 26. p. 135. XII. 6.
p. 676. De editionibus vero in usum Delphini vide præ cæteris
HUETIUM apud KORTHOLTUM, *disp. cit.* §. 13. p. 37.

WALCHIUM VII. 10. & nisi me omnia fallunt, in Relat. Literar. Lips. me legisse recordor, numerum Autorum in usum Delphini editorum ultra aliquot centum exurgere. Cellarius profecto, nisi his editionibus earumque præferim Indicibus adeo egregie adjutus quibusdam fuisset, ultra fines & conatus Gesenianos in Germania vix ascendisset. Conf. tamen de his etiam Indicibus WALCHIUM V. 18. p. 403. Sciens omitto Scriptores qui a Gallorum contemtu merita nomenque Germanorum defenderunt.

Capite primo redit in Latium, ex quo pariter aliqua labes puriori sermoni fuit illata, ita ut Romanus, Urbanus aulicus, factus fuerit oppidanus seu municipalis sermo, qualem etiam in Cepusis exagitat CICERO *Clar. Orat. c. 69.* Conf. etiam b. Autor de *Diff. pura c. 2. §. 9.* Urbi autem & Urbanis iste sapor vernaculus, dicendique svavitas ita fuit ingenta, ut vel eruditissimi Latini ab indoctia etiam Romanis vincerentur ejusque rationem ex CICERONE de *Oratore III. II. n. 43.* & de *Clar. Orat. c. 13.* arcessit. Vid. & THOMAM HAYNE l. c. p. 45. Neque Atticum saporem meliora expertum fata, quia licet sono vocis solus svaviter loqui potuerit, per dialectorum tamen varietatem & licentiam valde corruptam fuisse. Inconditum vero sonum ab Urbanorum delicatis auribus magis reformidari, quam ipsam vocem atque idiotismum, id quod infra c. 15. p. 581. repetiit. Quantum vero Romani sono indulserint egregie pro more suo BERGERUS docet de *Natur. Pulchrit. pag. 409.* STURMIUS de *Imit. Orat. l. 15. p. m. 574. 199.* Priscam Latino- rum linguam etiam post Punica bella exiguis inclusam fuisse finibus, sed postea a Coloniis & Civitatis donatione diffusam fuisse, Romanis studentibus, ut sui sermonis honor per omnes gentes venerabilior propageretur, id quod non solum ex LIVIO I. 27. 9. & XL. 42. 13. atque VALERIO MAXIMO II. 2. sed ab UBERTO FOLIETA quoque de L. L. præst. Lib. I. p. 117. ejusque editore Cel. MOSHEMIO in subjecta annotatione & a BORRICHIO l. c. p. 152, cui non remere adjicies HAYNE & CRENIUM p. 47. Italicarum vero lingvarum colores alios fuisse Cis-Tiberinis, alios Intermediis, & alios Trans Tiberinis. Roma autem se altius efferente, his Italicis successisse paulatim Romanam, ita tamen, ut in eadem voces Tusca, Osca, Volca, Sabina, Græca & Semi-Græca remanserint, quas Romani tamen illico subolacerent. Latinorum deinde Oratores ex Cicrone de *Clar. Orat. c. 46.* producit, quibus Cicero idem tribue-
bat

bat quod Romanis, *præter unum*, quod non fuerit eorum urbanitate quadam quasi colorata oratio num. 170. Conf. BORRICHIVS & TAUBMANNUS ad finem cap. 9. citati.

Capite 12. docet, Urbanis nihilo fecius tanto fuisse provinciales atque Latinos fastidio, ut peregrina etiam, licet optima, quacunque specie contemserint, cum tamen clarissimorum Scriptorum e Provinciis & Latio oriundorum major quam Romanorum fuerit numerus, quam in rem vide etiam OLAUM BORRICHIVM de *Studio Latinit. puræ* p. 152. sqq. Tom. II. dissert. Academ. Sic Cicero-nem fuisse Arpinatem, Terentium Afrum, Plautum Umbrum, Virgilium Mantuanum, Catullum Veronensem, Ovidium Sulmonensem, Horatium Venusinum &c. &c. quorum plerique tamen calumniatores habuissent suos, licet vix levissimum peregrinitatis vitium in iis deprehendere potuerint. Sed vide tamen b. Autorem de *Distinctione puræ* c. 2. §. 10. p. 27. sqq. & S. R. MOSHEMII annotationes in eundem. Solos propemodum Lucretium & C. Jul. Cæsarem fuisse Romanos, immerito aliis vapulantes Plura vero, quæ hic de Cæsare, & pro eodem, dici possent, plenis advexit plaustris BERGERIANA dicendi copia & pulchritudo in Commentario limatissimo de *Natur. Pulchrit.* p. 57-55. & p. 62-70. alibique passim. Negari enim nequit, quasdam Cæsaris voces a pura oratione Criticis quibusdam alienas videri, de quibus vid. KORTHOLTUS l. c. p. 18.. Sed vide etiam ipsam BERGERUM p. 434. 458. 480. 507. &c. WALCHIUM l. c. IX. 4. p. 570. Quanti etiam habeatur ipse Lucretius in compendio nos docet BERGERVS p. 460. Quamvis etiam PAGANINVS GAUDENTIVS de *Philosophia apud Romanos* agere videatur, haud tamen frustra illius capita 29 41. conferentur, quia non solum de Cæsaris Lucretiisque & aliorum Philosophia, sed eloquentia etiam subinde edisserit. Conf. ite. u. n BERGERVS p. 523. 444. 516. sqq. Similiter in argentea & declinante Latinitate plures fuisse peregrinos quam Romanos, Ælopum nempe seu Phædrum &c. Pollionis iraque fidem testatur, *Quid est*, inquit, quod unum inter tot Provinciales Livium, huic Patavinitatis culpa affinem facit? cum reliqui nihil hujus gentilis labris contraxerint. OLAVS autem BORRICHIVS l. c. p. 153. sq. & p. 179. ex conservata nobis inter tot syrtis & tot charybdes, tot provinciarum collisiones infaustas, *Lingua Rom. argumentum bonitatis & providentiæ divinæ derivat.*

Caput

Cap 13, Hi ergo Provinciales in Urbe educati, cum in totam se Urbanitatem induerint ita, ut omnis L. Linguae gloria penes illos steterit, & ipso quoque illo perfectissimae Latinitatis tempore, non satis ea diversitas ab ipsis Urbanis hominibus fuerit dijudicatu, recentiorum certe censurae tanto incertiores erunt, quanto magis ipse Cicero in dignoscenda Urbanitate fluctuarit, qua de re infra etiam c. 16. p. 586. agit, & ex Auteribus a Cel. KORT-HOLTO disp. cit. §. 1. p. 16. congestis, atque ex infra dicendis facile locupletari possent. Vide interim *Dialog. de Orat. c. 18.* Hinc Scalliger & Erasmus & Pollionem insectatur: Faeminas & indoctos urbanitatis aliquando feliciores esse custodes quam doctos, quibus nonnunquam voces & phrasas non adeo antiquae, fuerint ignoratae. Sic Livium IV. 3. 4. 6. non intellexisse per *Classes* in plurali numero significari equestres copias, cum Virgil. *Aeneid. II. 30 & VII. 715.* eodem sensu hac voce usus sit, observante TANAQUILE FABRO, de cuius praclaris in Latinitatem meritis vid. Cel. KAPPII praefat. JENSI *Latinitatis Collectaneis* A. 28. Lipsi recusis, praemissam, circa fin. Quod vero hunc Fabrum attiner: ille ab *Eph. meridum Gallicarum* SCRIPTORIBUS, A. 1666. Ephemeris 18va p. m. 202. versionis Latinae Nitschianae, non tam obhane censuram Livii, fuit notatus, sed quod tantum suae jactabundae indidit audaciae, ut simpliciter etiam adseruerit, se in suis Notis ad Phaedrum monstrasse, Aristotelem, ut ut Virum eruditum, non tamen melius calluisse Graeca, quam Titum Livium latina. Tanto iniquius autem hunc ferebant thraconismum Ephemerides Gallicae, quanto procacius ipsa quoque Scripturae oracula temerare ausus fuisset, *in quibus. inquit, imutavit vocabula, transposuit periodos, & interdum vel integras expunxit lineas.* Defendit equidem suam censuram Faber, edito: *Journal de Journal &c.* sed admodum infeliciter, quia Ephemerides paratissime responderunt Ephemeris 28. p. 318. Fabrumque incastigatum non dimiserunt. Neque ipse MORHOHIUS nimiam Tanaquilis temeritatem criticam diffiteri potuit in *Polyhist. Literar. I. 24. 37.* Ad Ciceronis interim tempora b. Morhofius urbanitatem esse quidem restringendam, minime vero ex illo solo censendam prudenter monet. Quando autem ibid. p. 571. Virgilio barbarismorum dicam a VERDIERO scriptam fuisse observat, quod a P. Victorio quoque factum fuisse intra c. 14. p. 678. addidit, ne quid de Carbilio aliisque apud

apud TAUBMANNUM de L. L. p. 78. reperiundis, dicam, notare
 iuvabit, quod dignum sua patella. *Censione nempe in auctores pene
 omnes invenerit operculum Verdierius, mordacissimum nempe il-
 lum GASPERUM SCHOPPIUM qui suas ipsi opposuit Notas vul-
 go ignotas, optimoque proinde consilio recensitas in Nova Libror.
 varior. Collect. p. 160. sqq. Quid vero Verdierium mirabimur?
 Vestigia forte an securus fuit SERVII plerumque Virgiliomastigis,
 ad Virgilio Æneid IV. 50. verba: *sacrisque litatis*. hac censoria uten-
 tis virgula. *Diis libatis debuit dicere. Non enim sacra, sed Deos sa-
 cris litamus i. e. placamus. Ergo nove dixit. Sed distinguendum est
 ut dicamus, Sacris, i. e. per Sacra, Litatis scil. Diis.* Quam turpiter
 vero ipse Servius contra omnem hic hallucinatus sit Latinitatem de
 la CERDA, PONTANUS Lib. 9. Symbolar. f. 1120 & quos præterea
 EMMENESSIUS allegavit, ostenderunt. Nec mitior est ejusdem
 censura ad verba Æneid. VIII. 565. *terna arma movenda*. Sic vero
 ista se habet: *Figura poetica. Nam trina debuit dicere. Arma enim
 numeri sunt tantum pluralis, cui non junguntur nomina numeralia. Non
 enim dicimus: Tria arma.* Ergone tantum Grammaticum fugit, ni-
 hil frequentius esse tum Historicis, tum Oratoribus, tum Poëtis, quam
 ut numeris distributivis utantur pro numeralibus? Vide vel unum so-
 lumque Virgilium Georg. I. 232 Æneid V. 120. X. 207. ad quem lo-
 cum præterea vid. de la Cerda. Sic Donato quoque non pepercit ad
 Æneid XI. 124. verba: *Fama ingens, ingentior armis*, hæc repon-
 ens: *Frustra ait Donatus, hoc nomen de his esse, quæ non recipiant
 comparationem. Nam quia augmentum recipit, etiam comparatur. A-
 lia sunt illa nomina, in quibus est dubitatio, utrum comparentur, ut est: Per-
 fectus, quod si velis comparare, incipit perfectus non esse perfectus.* Sed
 vero istas subtilitates adeo putidas censeo ut responsione habeantur
 indignæ, quia abusum Grammatices & aperta deliria produunt. In-
 telligendo profecto faciunt nihil ut intelligant. Quoniam quoque
 idem audaciæ crimen ad Æneid. IX. 49. incurrit Servius, hinc BER-
 GERO p. 12. & alibi sæpissime vapular. Sed mitto Servium, mini-
 me vero vocabula, quæ vel ipsius Ciceronis & superiori ætate in u-
 su fuerunt, sed quia a Cicerone fuerè præterita, hinc Casari aliisque
 hanc necessitatis legem imposuerunt, ut similes voces formaverint,
 de quibus conservandis & observandis male meriti fuerunt veteres
 Grammatici. De hoc autem argumento copiosius præcipientem vi-
 de FOLIETAM de L. L. usu & præstantia circa fin. Libri 2. p. 196.
 C
 sqq.*

fqq. Hinc progreditur b. Autor. p. 572. & de Singularibus Ciceroni
 objectis Novitatibus agit, quas ex QUINTILIANO Inst. Orat. X. 2.
 p. m. 674. edit. Basil. 568. ERASMI *Ciceroniano* p. m. 20. 28. TAUB-
 MANNO l. c. p. 76. BERGERO p. 422. 455. WALCHIO Hist.
 Crit. L. L. IX 9. p. 583 KORTHOLTO l. c. p. 16. MORHOF
 de dict. pura p. 138. 182. BOHUSLAO BALBINO. Verisimil.
 in notis p. 3 præcipue autem ex Clar. DORNMEIERI disp. de *Vi-
 tioso Ciceronis Imitatore* §. 9. fqq. & Clar. HALLBAUERI *Institt.
 styli germanice editis* p. 441. fqq. aliisque quam plurimis facile adauge-
 bimus. Is ipse enim S. R. Hallbauerus licet utilissimum ex Wal-
 chio dederit l. c. indicem vocum in optimis etiam autoribus singu-
 larium; facile tamen eundem crescere posse ipsemet Summi Nomi-
 nis Vir, Seb. KORTHOLTUS diffiteri nequivit. Quanta etiam
 SCIOPPII fuerit audacia in censenda Latinitate perquam prudenter
 admonet & præterea ex CELLARII Cur. Post. & Antibarb. ceteris-
 que hujus generis scriptoribus supra sub finem §. 8. indicatis con-
 firmabitur. Denique nec illud prætermittere potuit b. Autor, lepi-
 dum valde esse illum Romanissimum Hyper-Criticum, Asinium Pol-
 lionem a PAULO MANUTIO in suo *Commentario* in Epist. Ci-
 cer. Famil. X. 31. f. m. 1142. 1154. edit. Wechel. 1580 castigari &
 reum agi verborum minus romanorum, vel saltem asperorum & no-
 vitatis vitio notandorum. Caput denique finit querela de exem-
 plaribus corruptis Librariorum Criticorumque, Lambini præsertim
 Manutio imparis, quod MURETUS etiam *Var. Leet.* II. 6. p. m. 901.
Theauri Critici Gruteriani, egregie confirmat, in corrigendo & insci-
 tia & audacia. Infra autem C. 16. p. 586. cum Singularia in Cice-
 rone Hyginoque repetit, id CELLARIO in *Cur. Post. prolegom.* largi-
 tur, & sua Ltvio esse *idia*, seu quædam singularia, quæ apud alios non
 inveniuntur, quod vero in Cellario l. c. frustra quæsiveris. In lati-
 nissimi autem BERGERI Natur. pulchr. Orat. p. 456. amplam ta-
 lium singularium Livianorum segetem reperies, quam alibi etiam ube-
 riori copia suppeditavit. Pertinet huc præcipue Cel. KORTHOL-
 TI disp. de Latinit. pura A. 31. Kilix habita & toties laudata, quia
 peculiari opera *negat, Latinis verbis & dictionibus, a scriptore atatis
 optima & semel tantum usurpatis, promiscue uti licere, cui scitissime co-
 ronidem imposuit ex Cicerone de Orat. III. 44. adde TAUBMAN-
 NUM de L. L. p. 81. & WALCHIUM Hist. Crit. L. L. II. 12. p. 175. fqq.*
 Cap. 14. Cum itaque Patavinitas deprehendi potuit nulla
 recte

recte eandem a Balzaco exagitam & a Salmasio contemptam fuisse adfirmat, cujus epistola etiam in *Biographia J. F. Gronovii*, Hamb. 1723. in 8. germanice edita p. 37. comparat. Urbanitatis autem olim plus extra Urbem & in Provinciis, quam in ipsa Urbe fuisse, cum Provinciales interdum elegantia vincant ipsos Urbanos, hi autem inepti Urbanitatis, sicuti Græci Atticarum vocum affectatores fuissent, quæ de *Diët. pura* p. 212. repetiit. Romanos itaque, qui antiquiores voces ad ipsam usque rusticitatem sectati essent, auctore *Dialogo de Orat.* c. 23. risui exponit. Hæc Romæomania Italos literis renascentibus ita occupasse, ut illis Cisalpini etiam sorderent. Insuper vero Bonamici de Melanchthone indicium, p. 576. ex TAUBMANNO de L. L. p. 36. MOSHEIMIO præfat ad Folietam §. 10. p. 25. & ad b. Autoris librum de *Diët. pura* c. 2. §. 14. atque HALLBAUERO de Sectis Imitatorum §. 26. retundi potest. Hinc factum esse, ut Victorio ne Turnebus quidem satisfecerit, qui Lucretium ipsi quoque Virgilio prætulisset, ortosque inde esse Ciceronianos illos, quibus Erasmus suum Ciceronianum, Henr. Stephanus Pseudo Ciceronem & Nizolio Didascalum Paris 1578. a se editum, Taubmannus vero suam præcipue de L. L. dissert. opposuissent, quibus adde MOSHEIM ad FOLIETAM p. 100. & de *Diët. pura* p. 142. Italos vero quod Florentinitatem hodie ita affectarent, carpi ab ALB. GENTILI, quam eorum insaniam supra jam c. 7. taxaverat.

Cap. 15. Peregrinitatem citius intra Urbem ortam fuisse, quam in provinciis, quia ob frequentiore illuc omnium fere populorum confluum, mirum videri possit, quomodo ea civitas penitus non barbara fuisset reddita, a plebe autem hic præcipue peccatum fuisse, non v. a Patriciis. Tandem peregrina fuisse civitate donata, quam in rem egregie quoque differentem vide UBERTUM FOLIETAM de L. L. usu & præstantia Libro 2. p. 110. 175. ipsumque Summum editorem MOSHEIMIUM in præfat. §. 9. p. 21. STURMIUM de Imit. Orat. I. 1. p. m. 344. Illa vero non adeo in linguæ diversitate quam vocis sono quærenda esse, de quo supra c. 11. præcepit. Per colonias autem pluresque Scholas Urbanitatem ita fuisse propagatam, ut nulla fere sit gens, quæ non ex urbanis sit oriunda, per clientelas in provincias & exterarum nationes propagata, id quod testarentur Inscriptiones in Nominibus Propriis. Gallis præsertim usum L. L. æque fuisse vernaculam ac Romæ fuisset, variis probat testimoniis, adeoque ad c. 10. pertinet, Hispanis etiam Rom. linguam fuisse vulgarem

garem & domesticam ex Horat. Od. 11. 20. 20. & Cæsare Civ. 11. 21. Cicer Epist. Famil. X. 31. Emporitana inscriptione, Quintiliani, Antonii Juliani, Columellæ, ipso Varrone melioris, & Latronis Porcii exemplis probat. Imo inter Scotas, Belgas, Germanos &c. tot exquisita extare latinæ monumenta, ut cum ipsa etiam antiqua Roma certare possint. Sed vero luxum, fastidium & ignaviam corrupisse Urbanitatem, Ciceronemque tunc minus placuisse, testari Seneca & Quintiliani querelas. Conf. supra c. 9. & 10.


Hic autem Termino cedere necessitas imperat & palam confiteri, lætissimo Natali *Serenissimi Ducis atque Principis, Domini, CAROLI LEOPOLDI, Ducis Regnantis Meclenburgici, Principis vetustæ Gentis Henetæ, Sverini & Raceburgi, Comitis item Sverinensis, Terrarum Rostochii & Stargardia Dynastæ, Domini Nostri Clementissimi*, nos hanc scribendi opportunitatem humillimo pietatis & obsequii cultu debere atque acceptam ferre, quem Divina nobis & cœlestis gratia cras fastidiosis reddet auspiciis, quam quidem ita venerabimur, ut primum pietati nostræ concedamus locum, tum quoque Juventutis nobis creditæ exercitio Rhetorico indulgeamus. Prohibunt namque prima suæ eloquentiæ facturi pericula cras a meridie hora audita III.

Juvenes optimo ætatis flore insignes:

- I. *NICOL. HENR. LÜLLI*, Wockera-Meclenb. carm. germ. celebraturus, *Monumentum Templi nostri Cathedralis ULRICIANUM Serenissimorum D. D. Meclenb. Genealogicum.*
- II. *JOH. ALEXAND. ZELLER*, Güstroviens. Orat. Latina, eaque Recta, finget *JOH. ALBERTUM ULRICO*, fratri, *svadentem, Regiminis societatem & dissvadentem Ducatus divisionem.*
- III. *GUSTAV. JOH. ZELLER*, Güstroviens. Orat. germ. exponet: *Das durch Herzog ULRICH gl. And. gezeigte Güstrow.*
- IV. *CHRISTOPH. HENR. HOTLERS*, Güstrov. Orat. Latina recenset *JOH. ALBERTI*, *Merita in religionem Lutheranam omnem.*
- V. *JOH. CLAMOR BUCHHOLTZ*, Verchentino-Mecl. carm. germ. canet: *ULRICI Merita in utramque Rempubl. civilem & Ecclesiasticam Meclenburgicam.*

Vos ergo *UTRIUSQUE REIPUBL. C. P.* quorum exempla in illustri posita, Juventuti non solum ad intuentum, sed etiam imitandum data atque evecta sunt, hanc meis precibus dabitur gratiam, ut vestra luce Oratorum illustretis vultus, animumque ad dicendum bene erigatis. Si quid in me illisque porro erit officii & observantiæ fidem dabimus publicam nos omni officiorum genere id daturos operam, ut **VOBIS** inserviendi lætissima impetremus tempora & primam quamcunque opportunitatem.

TANTUM.



De Riddagshausano coenobio autem hæc traduntur. Dies
 Kloster hat einen Abbet gehabt und eine feine Schule, darinnen
 12 Knaben mit aller Nothdurft unterhalten, und in Logicis stu-
 diis durch einen Magistrum, welchen der Abt besoldet, institui-
 ret werden. Solcher Kloster-Schulen seyn 6. im Lande
 schweig, in unterschiedliche Classes abgetheilet, durch w
 Stipendiaten ordentl. geführet werden, bis man sie ent
 der Universitæt nach Helmstädt mit Nuß verschick
 Cum deinde turbulentum *Brunsvicum*, mox vero Gv
 tum adiiisset, in secessu vicino *Zessen* ab Avia sua te
 receptus & per 9 dies retentus fuit. Amoenitates aut
 fementes, dictaqve Monasteria latius enarrabunt Auto
 Baringium reperiundi.

§. 7.

Hessemo die 4 Martii discedebatur, reliquaque
 stadio, Schanderslebiaque, *Halam*, intravit, ubi d.
 præter alia, salinas quoque vidit, de quibus ita: D. M
 Bericht nach, sollen die Salz-Roten jährlich 2 Tonnen
 tragen. Doch wird eine wieder auf die Unkosten g
 Von der andern muß man dem Hrn. Bischof ein gena
 richten, welcher das Feudum 123 Häusern verleihet.
 vero de his Salinis Scriptorum nubem collegit Clar.
 SIGIUS, plenior sine dubio dabunt notitiam in *Bt*
xon. Super. p. 941. In templo Cathedrali Halensi
 runt Epitaphium D. Mosmanni, ex unica sua uxore
 liberorum Parentis facti, cujus πολυγενίας alia plurac
 peditabant exempla, *STISSERUS ad Sirac.* 16. p. 17
CARTUS Observat. Hist. Polit. Decad. II. p. 286 - 2
Jac. THOMASII, Oratt. p. 121. *LANSII Consult.* p. n
 omittam *STEPNERUM in Inscript. Lipsiensibus: A*

